

PRO SVMMIS IN DIVINO AEQVE AC HVMANO IVRE
CAPESSENDIS HONORIBVS
DISPV TATIONEM IN AVGVRalem
DE

**IVRAMENTO STVDIOSO.
RVM ACADEMICO
AVSPICALI,**

**Von dem Eide, welchen die studirende
Jugend heym Antritt ihres Academischen
Lebens iezuweilen ablegen muß,**

AETERNI NVMINIS AVSPICIIS,
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPЕ AC DOMINO

DOMINO

GVILIELMO HENRICO

DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM,
ANGARIAE, WESTPHALIAE, RELIQA

EX DECRETO ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
PRAESIDE

GVILIEL. HIER. BRVCKNERO

ICTO, CONSILIARIO SAXONICO, PANDECTARVM P. P. CVRIAЕ PRO-
VINCIALIS, FACVLTATIS IVRIDICAE ET SCABINATVS ADSES-
SORE GRAVISSIMO,

PRAECEPTORE AC PROMOTORE AETERNVМ VENERANDO
AD DIEM JVNII M DCC XXV.

ERVDITIS AD EXAMINANDVM SOLEMNITER
PROPONO

GEORGIVS HENRICVS ORTH
HEILBRON. EX SVEVIS

IEN AE,
LITTERIS IOHANNIS ADOLPHI MULLERI.



15
S. H. C. M. S. T. M. I. S. M. O. M. I. N.

S. H. C. M. S. T. M. I. S. M. O. M. I. N.

M. S. T. M. I. S. M. O. M. I. N.

16
T. M. I. S. M. O. M. I. N.

T. M. I. S. M. O. M. I. N.

17
T. M. I. S. M. O. M. I. N.

18
T. M. I. S. M. O. M. I. N.

19
T. M. I. S. M. O. M. I. N.

20
T. M. I. S. M. O. M. I. N.

21
T. M. I. S. M. O. M. I. N.

22
T. M. I. S. M. O. M. I. N.

23
T. M. I. S. M. O. M. I. N.



L. S.



Ccudit anno seculi hujus ter-
tio, quo venerandus Dis-
sertationis Præses Sceptra A-
cademiæ nostræ moderaba-
tur, ut artis Medicæ Candida-
tus, jam ad Professoris dignita-
tem hic elevatus, cum nomen
Albo studiosorum Jenensium
dare vellet, juramentum sub auspicio vita Academ-
ica præstari solitum, semel iterumque deprecare-
tur, modesta & speciosa usus excusatione, pectus sa-
cro quodam horrore circumfundit, vel sola jurisjuran-
di mentione in medium allata; in Lipsiensi Academ-
ia, e qua Salanam hanc commigravit, a Studiosis
haud exigi juramentum, sed eos simplici & nudæ sua
promissione committi. Lubentissime morem ipsi
gesiſſet Præses, niſi hujus Academiæ statuta Rectori-
bus libertatem adimerent, Studiosis jusjurandum

A

con-

consuetum remittendi. Toties etiam ille ab aliis Studiofis rogatus fuit, ut habita serupuli conscientia ratione rigorem statutorum benigna dispensatione temperaret; cum autem haec non Rectoribus & Professoribus, quibus tanquam subditis obsequii gloria est relicta, sed Principibus statutorum Auctoribus competit, desiderio deprecantium assurgere non licuit, pariterque Candidatus ille, diu multumque reluctatus, tandem juramentum pro more praestare debuit. Postea in numerum Patrum Universitatis cooptatus aliquoties oravit Præsidem, ut, quoniam ipse dubia nonnulla circa Juramentum istud foveret, quæstionem, num illud a studiofis exigendum sit? adducet in utramque partem rationibus, ventilandam sumeret. Promisit ille Optimo Charissimoque Collega, argumentum hoc Candidato Juris suppeditare e-laborandum. Ut igitur fidem datam adimpleret, mihi obtulit conditionem, utrum pro themate Disputationis solennis, quam inauguralem vocant, illud e-volvere, an aliud sumere vellem. Arrisit id mihi statim, cum ob jueunditatem tum ob gravitatem. Quamobrem invocato supremi Numinis auxilio illud sequentibus thesibus considerandum elegi. Tametsi vero de Juramento saktim Studiosorum, quod sub auspicio vita Academicæ praestari aliquando solet, acturi, neesse non habeamus, multa in universum de Juramentis præmittere, utpote quam materiam varii JCri locupletissimis commentariis persecuti sunt; attamen nihilominus partim accommodata Dissertationibus methodus, partim quodammodo quoque institu-

instituti nostri ratio postulat, ut, quæ circa voces & naturam Juramentorum potissimum notatu digna occurunt, pauca quædam ad meliorem illustrationem dicendorum in medium afferamus.

Thes. I.

Deducitur Vox Juramentum a jurare, & in men-*Vox Ju-*
tum definit, quæ communis multorum nominum *rameni*
Latinorum est terminatio, qualia sunt v. c. vestimen-*unde de-*
tum, calceamentum, ornamentum, supplementum, *scendat.*
cognomentum, lineamentum, sepimentum, addita-
mentum, libamentum, medicamentum &c. *conf. Set-*
fer. de Juram. l. i. cap. i. n. 2. Quidam a jure & mente
derivatam volunt vocem, quasi jure & mente juran-
tis terminetur negotium, quod inter manus est. Ve-
rum hæc allusio potius est, quam justa derivatio, haud
dissimilis ei, quam reperias in pr. *J. de Testam.* ubi ait
Imperator: *Testamentum ex eo appellatur, quod testatio-*
mentis sit.

Thes. II.

Juramentum aliter appellari consuevit *Jusju-*
randum, quod vocabulum procul dubio a jure & ju-*Juramen-*
rare descendit, & per illud respicitur, quod juratus *tum alias*
juri se conformare debeat. Ubi statim nascitur quæ-*dicitur*
jurando. An Juramentum juri repugnans pro vero jura-
mento sit habendum? quod nos equidem affirma-*Questio*
mus; sic is, qui in ipso jurandi actu perjurium commit-*resolvitur*
tit, dum rem aliter se habere novit, ac enunciat, vere
jurat, sed abutitur Nōmine atque Numine Divino;

A 2

etiam

etiam ille, qui jurat, patraturum se impium quoddam & nefarium facinus, vere jurat, sed non obligatur ad id, quod jurato promisit, servandum; cum hæc duo non sint confundenda, primum, num juramentum de re illicita & contra jus præstitum sit verum juramentum alterum, num tale juramentum sit obligatorium? Quantum ad prius, pedibus in affirmativam imus, quandoquidem promissio nuda & simplex etiam contra jus facta vera promissio existit. Obtinet enim hic definitio Juramenti & promissionis; quamvis rem juxta jus Civile considerando omne negotium contra prohibitionem illius juris suscepimus, & sic etiam juramentum refragante jure præstitum habeatur pro nullo, scilicet quoad effectus juris per *I.5. C. de Legib.* non autem spectando rem citra jus civile juxta suam naturam & indolem. Posteriorus non est admittendum per *cap. 13. X. de jurejur.* Ex eo namque colligitur, illum, qui juramentum super re illicita præstitum servat, bis peccare, temere jurando, & quod juratum est, implendo; non enim juramentum potest & debet esse vinculum iniquitatis *cap. 18. X. de jurejur.* Hinc David necem Nabalis, totiusque familiae interencionem temerario juramento concipiens, vere juravit, gravissimumque subiit reatum; Posteaquam vero prudentissima Nabalis uxor Abigail ipsum ab impiis hocce proposito retraxit, recte juramentum non servavit, eoque nomine supremum Numen supplici gratiarum actione veneratus est. *I. Sam. XXV. 22. & seqq. Conf. c. 3. & 4. caus. 22. qu. 5.*

Thef. III.

Thef. III.

Jurisjurandi vocabulum veterum Jureconsultorum Romanorum a vo magis in usu fuisse, quam vocem jū-
ramenti perspicere est ex *toto tit. ff. de jurejur.* quamvis alia de
& in hoc vocem juramenti invenias l. 34. §. 5. Nec apud *Nomilla*
vocibus. Ciceronem reperitur Juramenti vocabulum, licet
ideo non rejiciendum, quod sufficit, aliis probati ser-
monis auctoribus adhiberi. *vid. Briffon. Lexic. Jurid.* in
voce: *Juramenti.* Est ergo hac vox posterioris at-
atis, & tempore Justiniani usitator vid. alleg. *Briffon.*
postea usitissima, ut videre licet in Libris Jur. Can.
tam Decreto Gratiani, præsertim *caus. 22. Q. 5.* quam
tot. tit. X. de Jurejur. Alterum synonymum est sacra-
mentum, *L. 2. Cod. de indic. vidu. tollend. L. 13. §. 3. ff. de*
re militar. authent. sacramenta puber. *Cod. si advers. vend.*
&c. Tertio dicitur dejurium sed raro, a dejerando. De-
jерare autem est, quasi sancte vel valde jurare *Sets. tract.*
de Juram. lib. 1. cap. 1. n. 6. Faber & alii in Lexicis.

Thef. IV.

Est autem Juramentum contestatio religiosa, sive *Descriptio.*
actus, quo per Numen supremum aliquid asseveratur.
Dicitur (1) contestatio vel quod aquivalet, assevera-
tio, eine Betheurung, (2) religiosa, ut ostendatur dif-
ferre contestationem religiosam ab alia contestatio-
ne; sic non erit juramentum, quando quis dicto fi-
dem arcessere annititur verbis in hujusmodi formu-
las conceptis: so wahr ich lebe, so wahr ich hier stehe, so
wahr es Tag ist, warlich, wahrhaftig, es ist gewiss wahr,
Secus se res haber, quando Deus dicit: Vivo ego,

So wahr ich lebe, hoc certe juramentum est Hebr. VI.
13. per seipsum enim jurat Genef. XXV. 16. Pariter
quando Christus ait: Amen Amen dico vobis, hoc
juramentum sine dabis est; nam per veritatem suam
Divinam & essentialem hic asseverat. Per religio-
sam vero contestationem intelligimus, ubi vel expre-
sse per Numen supremum asseveratur aliquid, quod
variis contingit formulis, so wahr Gott lebet, so wahr
ein Gott im Himmel ist, es ist bey Gott wahr, Gott
sey Zeuge, Gott sey Richter, so wahr mir Gott helfe;
vel implicite aut virtualiter, & quidem per religio-
nem, aut totam, e.g. proferente Christiano: So wahr
die Christliche Religion die wahre Religion ist, vel per
partem religionis, quam jurans proficitur, sic, quando
Christianus contestatur: So wahr Gott die Welt ge-
schaffen, so wahr Christus mich erlöst, so wahr eine Auf-
erstehung der Todten ist. Ille etenim, qui jurat, in tali
casu vult videri contemtor religionis, sive istius, per
quem juravit, articuli, Deumque tanquam auctorem
religionis tacite exposcit testem & vindicem, si falso
fuerit deprehensus. Commodo hic queri possit, an
si Mahomedanus per religionem vel quoque per par-
tem religionis sua promittat aliquid vel afferat, pro
juramento sit habenda ista asseveratio? Et nos qui-
dem affirmamus. Quamvis enim sit falsa ejus religio,
est tamen intentio jurantis respicienda, ejus scilicet,
qui veram esse confidit, & vult contemtor ejusdem
videri, si promissum violaverit, denique Deum tan-
quam Auctorem presumptum Religionis sua invocat
testem atque vindicem in casu perjurii. Ast vero,
quid

quid si gentilis homo per falsos Deos aliquid in felicitum promittat, & postea vexillo Salvatoris det nomen, an teneatur servare pronissum, quaris? & an perjurii crimen subeat, ni servet? Displacet, quam tueruntur quidam, negativa; licet etenim fictitia Numina, per quae juravit, nihil omnino sint nec existant, & sic videatur ad praestandum obligari neutquam posse; quia tamen intuitu Supremi Numinis, cuius revelatam nondum habuit accuratam noritiam, & quod est Unicum, in pluralitate consistere arbitratus est, juravit, servare omnino debet, quod pollicitus est, *Grot. de J.B. & P. lib. 2, cap. 13. §. 12. Pufend. de J. N. & G. lib. 4. c. 2. §. 4. conf. 1.5. §. 1. de jurej. it. c. 10. canf. 22. qu. 5.* Alia questio est, an Christianus a gentili salva conscientia exigere queat juramentum per falsos Deos? Quod negamus; iterum: an in casu necessitatis acceptare possit a gentili juramentum per falsos Deos? id quod affirmamus. *Conf. Grot. & Puf. loc. cit.*

Thes. V.

Juramentum est vel licitum vel illicitum. *Liber Divisiones*
citum, quod nullo jure, nos obligante, prohibitum Juramentum
est, & salva conscientia præstari potest. Illicitum, torum.
quod jure quodam nos obligante, est interdictum. Liber Licitum
Priusquam nunc ad enumerandas quasdam illicitorum & Il-
licitorum juramentorum species pergamus, veluti in transitu
generalis quæstio venit attingenda: annon omni ju-
*ramento ex precepto Salvatoris *Matth. cap. V. 35.* & re-*
*petitione *Jacob. cap. V. 12.* Christianis in novo testa-*
mento sit interdictum? Id quidem serio tenent Qua-
cet.

ckeri, nec defunt, qui in hanc sententiam eant, alii complures. Quamlibet vero in genere prohibuerit juramenta Redemptor universi, prohibitio tamen hæc solummodo Juri Divini positivi est, non vero naturalis. Jam Jura Divina & humana ita sunt capienda, ut excipiatur casus necessitatis; hinc utique ob eundem jurare, non potest non esse licitum. Ita quando Magistratus in controversia ad ipsum delata dirimendæ liti necessarium judicat, applicandam esse jurisjurandi religionem, videlicet ut vel testis dicta confirmet juramento, vel pars litigans delatum aut relatum juramentum præstet, quid inducere nos queat, ut morem gerere recusemus, non video. Quippe cum Autor Epistola ad Hebræos scriberet, usitatum erat in iudiciis juramentum testis, & aliud, quod pars parti deferebat aut referebat; hunc autem ille morem nequam improvavit, quod utique fecisset, si scriptum legeremus: Nolite sive in iudiciis sive extra iudicia jurare; quin potius cap. VI. 16, juramentum ad confirmationem adhiberi, atque omni controversiæ terminum ponere profitetur. Alias quoque vice plus simplici Paulus Apostolus teste in Epistolis vocato Deo juravit, quia (quis dubitet?) Spiritus S. cuius instinctu scripsit, necessarium judicavit, teste adducto Deo quodammodo infirmos fidelium animos corroborari.

Thes. VI.

Quedam Inter illicita juramenta referimus 1) perjuria in species Ju- actu jurandi commissa ; Committuntur enim perjuria

ria



ria vel in ipso jurandi actu, vel ex post facto ; in ipso *ramen-*
 jurandi actu e. g. si testis falsum pronuntiat contra me-*rum illici-*
 liorem scientiam ; ex post facto, si quis jurato aliquid *torum re-*
 promittit, & postea illud ipsum non servat. Quid ? *censemur.*
 si quis in ipso jurandi actu, quo aliquid alteri promit-
 tit, violationem istius concipit animo , postea pœni-
 tentia ductus servat promissum, an talis pro perju-
 ro habendus? In foro externo non ; quoad vero inter-
 num seu conscientia , profecto gravissimum admisit
 piaculum in actu jurandi, & , si mors redditum ad me-
 liorem mentem anticipasset, eandem cum perjuris
 mercedem a Vindice Supremi Numinis dextra retu-
 lisset. 2) Iuramenta super re illicita 3) per falsos Deos
 aut per falsam religionem sive partem ejus, de qui-
 bus paulo superius quædam disquisivimus. 4) Prohi-
 bitum censeri debet juramentum sub amissione æ-
 ternæ salutis præstitum, v. c. Ich will nicht seelig wer-
 den , quia namque anima & vita in potestate hominis
 non sunt, ut ea quasi pignori dare valeat. 5) Si invo-
 catione Divina adjungitur adhuc aliud, v. g. so wahr
 mir Gott helfe, und alle seine Heiligen , quod addira-
 mentum merito culpandum ; Rectius etiam juratur ;
 So wahr mir Gott helfe durch sein heiliges Wort, vel :
 durch sein heiliges Evangelium , quam si ita juretur : So
 wahr mir Gott helfe, und sein heiliges Wort, vel : und sein
 Heil. Evangelium ; majestati enim Divinæ non convenit,
 ut eidem creatum quid æqualiter adjungamus, Devt. VI.
 13. cap. X. 20. Es. XLII. 8. si per sacrum Dei verbum in-
 telligimus filium Dei , qui substantiale vocatur ver-
 bum Divinum, admitti illa formula posset. 6) Temer-
 aria juramenta. Sunt enim non pauci, apud quos

B

adeo

adeo exolevit reverentia juramenti, ut ex pravo more citra necessitatem continuo sermonem interjectis asseverationibus, Gott weiß es, strafe mich Gott, es ist bey Gott wahr, dividant, & absque his nullam sibi fidem haberi existiment. Improbandæ etiam sunt execrationes, quando quis mala sibi imprecatur, diris se se devovet, aut elementorum in se savitjam exposcit in casum falsi, e. g. Der Teufel hole mich, der Donner erschlage mich, die Erde verschlinge mich &c. wenns nicht wahr ist.

Thes. VII.

H. Divisio Ut proprius ad institutum accedamus, dividi in assertorium, pro porro consuevit Juramentum in Assertorium, Promissorium & Mixtum. Illud est, quando præteritum quoddam vel præsens ita se habere vel non habere asseveramus; v. c. an contractus fit celebratus? an delictum commissum? &c. Per istud quis ad futurum se se pollicendo adstringit, v. c. statutorum observationem, obedientiam superiori præstandam &c. **Huic exempli loco inservire potest Juramentum calumnæ generale**, videlicet cum alterutra partium, in ambiguum descensura litem, jurejurando corroborare tenetur, quod neque jam sumto ad calumnandum spiritu agat, neque in posterum istam multorum ligantium temeritatem amplecti velit. Non est hoc loco prætereundum i) quod nequaquam sufficiat ad vim Juramenti elidendam, si excipiat jurans, durante juramenti actu se in longe alias secum cogitationes ivisse, nec quovis modo habuisse intentum ad juris-jurandi religionem animum, juxta perulgatum illud:

Juravi lingua, mentem injuratam servavi;

hoc

hoc etenim modo semper euerteretur vis sanctissimi hujusce vinculi, quod tamen in constitutas rite societas est introductum ad adstringendam fortius dictorum atque factorum fidem. 2) quod in promissorio verba primum respondere debeant animo jurantis, successu vero temporis facta verbis. 3) id solummodo ad institutum nostrum pertinere, ut de promissorio agamus studiosorum juramento, quod sub introitum vitæ Academicæ ab ipsis exigi præstarique solet, non vero de Juramento eorum assertorio, nimurum quando tanquam testes producti verum pronuntiare, vel delicti cuiusdam postulati, suspicione ejusdem a se amoliri jurato jubentur.

Thes. VIII.

Supersedemus autem hic, quod ab aliquibus desiderari posset, ante omnia disquirere, ubinam locorum & in quibus nominatim Academiis tam in solo Germanico quam extra idem hodienum istud Jura-mentum sit receptum, in quibus iterum nuda manu currentes simpliciè promissione obsequii fides signetur; quippe praterquam quod & locorum distantia & angustia temporis certiori ea de re notitia, si adhuc addes commercii literarii defectum, viam præcludunt, non necessaria est hac enumeratio ad institutum nostrum, cuius præcipua capita seu momenta sequentibus absolventur quæstionibus: 1) an promissio sic facta & in multis Academiis recepta sub formula: *Ita me Deus adjuvet!* sit verum juramentum? 2) quando primum consuetudo in quibusdam Academiis invauerit, vt studiosi sub auspicio vitæ Academicæ ju-

B 2

reju-

rejurando se obstringere debeant ad obsequium magistratui Academicо praestandum, aut ad servanda certa statuta: 3) An studiosi, qui non servant ea, quae jurato promiserunt, pro perjuris sint habendi? 4) Qua poena sint afficiendi, iuramento Academicо contravenientes? 5) Num salva iustitia & pietate a studiosis exigit queat Juramentum illud? 6) Annon consultum sit, in nova Academia erigenda statuere, ut studiosi sub introitum viarum Academicarum ad certa capita jurato se non obstringant, sed solum stipulata manu promissionem faciant? 7) Annon juramentum illud semel introductum abrogari debeat? 8) Si non abrogatur, num Rectores illis, qui serio deprecantur tale juramentum, remittere id possint, praesertim si circumstantia conditionis personarum, scrupuli conscientiarum, atatis vel aliarum concurrant?

Thes. IX.

Prima questionem quod attinet, an promissio sub formula: Ita me Deus adjuvet, facta, sit verum solvitur. juramentum? haud equidem nos fugit, e studiosorum numero non paucos in falsa harere persuasione, promissionem sub illa formula praestitam non reputari pro vero juramento, nec etiam tantum religionis hoc actu contineri, ut contraeuntes Supremi Numinis vindictam pedissequam habituri sint. Sed profecto huic persuasiōni rationem solidam subesse non video. Est etenim hæc consueta & in plerisque locis recepta iurandi formula, nec memini, ab ullo unquam per scripta in dubium vocatum, nedum negatum fuisse, quod contestatio sub illis verbis facta sit verum juramentum. Cum igitur quoad reliquos pro juramento habeatur, nul-

nulla appareat ratio, cur studiosi debeant esse exempti,
 ut quoad illos pro juramento accipi non queat.
 Quæso etenim, quem alium in finem utimur verbis:
 Ego juro, &: Ita me Deus adjuvet! quam ut per ist-
 hæc facta promissio plenissimum robur omnemque
 juramenti vim nanciscatur? Nec facile fortior alia, ad
 alligandam fidem atque inducendum animis horro-
 rem falsi, formula excogitari poterit. Procul dubio,
 qui diligenter mentis trutina secum perpendit, quam
 altæ sint ea verba indaginis, quantumque religiosi
 sensus includant, non diffitebitur, haud quenquam
 in vita nostra extare actum, ubi magis obligemur, aut
 per quem arctius hominum conscientiis vinculum
 injiciatur. Quid enim auxilio Divino majus? Num
 quid hoc desitutus salutiferum quicquam operari
 præsumis? Vider' ut hic mortalium aliquos U-
 num atque Aeternum Ens, beneficiis usque ad
 aliorum invidiam exornet, uti rursum alios,
 quos deprimere videtur, supra humanæ for-
 tis infirmitatem erigit? & quod adhuc maximum est,
 quî summum istud bonum in animæ salute tibi pos-
 sum adimpisci sine Numine possis? Ast vero Divinæ
 huic & auxiliatrici dextræ nuncium mittis, dum pe-
 jeras. Hæc cum ita se habeant, cuivis in proclivi est,
 conjectura experiri, quam arduum sit, juramenti sub-
 ire religionem, & quam diligenter cavendum nobis,
 ne temere auxilii Divini atque æternæ salutis jactu-
 ram patiamur.

Thef. X.

Quoad secundam quæstionem vix poterit, cœu Secundus
 B 3 autu-

*questio
tradtatur.*

autumamus, ex historiarum monumentis ostendi, quo primum tempore & in qua potissimum Academia coeperit studiosorum hoc juramentum. Quemadmodum enim priscarum scholarum facies in omnibus fere ab hodiernis hisce Academiis, ubi in quatuor Facultates, Theologiam, Jurisprudentiam, Medicinam & Philosophiam communiter studia sunt distributa, Philosophia autem sub se non tantum Metaphysicam, Logicam, Politicam, Physicam, Oratoriam, Moralem, sed & linguarum notitiam, Mathematicas disciplinas, Philologiam & omnes reliquas disciplinas liberales complectitur, quam maxime abhorret, ita hujus præsertim instituti nullum antiquitus reperimus vestigium. Quippe posteaquam ex Asia in Europam trajecere elegantiorum literarum amor atque liberalium artium cultura, in Græcia primum efflorescere amœniora studia cœperunt, & præcipue Athenis, in qua civitate celeberrimi extitere Philosophi. Hi vero sub initium privata docuerunt auctoritate, nec acceperunt a Rep. auditoria, tantum abest, ut salariis e publico ærario instruerentur alerenturve. Ita etiam multo post in Italia & speciatim Romæ diu res se habuit. Notatu vero dignum est, quod in urbe Beryto (quæ ab Imp. Theodos. & Valentini. dignitatem metropolitanam obtinuit, uti patet ex *I. unic. C. de metropol. Beryto*) floruerit Schola JCTorum antiquissima, ita ut nec forte vetustiorem aliam reperire licet, in qua Theologia aut Jurisprudentia aut Medicina fuerit dissentibus proposita, auditoriis publica auctoritate constitutis & docentibus salariis ex publico instrutis. De hac urbe cum celeberr. Polyhistor Conringius

e S. Gre-

e S. Gregorio Neocæsariensi Episcopo testimonium adduxisset in supplement. XIV. quod adjecit libro de Antiquit. Acad. scripto, sequentia p. 231. adducit: *Ideoque haud vana fortassis conjectura dixeris, capisse illum auspicis ipsius Alexandri Severi Imperatoris. Is sane, ut genere Syrus, ita favit illi regioni, perinde ut ante illum Heliogabalus sive Alagabal. Simul vero cum aliis literis, tum juris studio impense fuit deditus; quo factum, ut plerique peritorum juris, e quorum scriptis Digestorum libros Tribonianus consarcinavit, ejus in aula vixerint.* Quos inter cum eminuerit Domitius Ulpianus, natione & ipse Syrus, fortassis bujus consilio nova schola huc LL. Romanarum est excitata. Quid? quod Imperator Justinianus in §. qua omnibus 9. de Confirm. Digest. refert, quod e schola Berytensi evocaverit Dorotheum & Anatolium ad Corpus Juris conficiendum. Quoad utriusque Romæ scholas, quoque notabilis lex est promulgata ab Impp. Valentiniano, Valente & Gratiano, qua est l. i. Cod. Theod. de studiis liber. Urbis Rom. & Constantinop. quam egregiis notis illustravit insignis Criticus & Jctus Jac. Gothofr. in Commentariis ad Cod. Theodos. atque ostendit, illa ipsa undecim cautiones suiste præscriptas, a Praefecto Urbis Romæ, ad quem lex est directa, & Magistro census, pariterque studiis obserandas. Discimus quoque ex ea lege, illos, qui ex Africa & aliis regionibus studiorum causa Romanam erant profecti, debuisse apud Magistrum Census sub introitum profiteri nomina, ubi notat Gothofredus: *atque hoc velut immatriculationis species quedam erat, qua in Academias hodie obtinet.* Deinde in eadem sancitum reperimus, quod juvenes literis ope-

ram

ram daturi Romæ, apud Magistrum census significare necessum habuerint, quibus potissimum studiis operam navare sibi proposuerint; Non autem ibidem nec in schola Berytiensi ante adducta mentio fit promissi nudi, multo minus jurisjurandi, quo se studiosi ad obsequium magistratui præstandum, & statuta certa Academica observanda obstringere coacti fuerint. In Orientali etiam Roma, Constantinopoli puta, juxta eundem Conringium in Antiquitatibus Academicis Dissert. i. primum publico salario docere iussi sunt soli Rhetores & Grammatici. His Romani Juris professionem adjunxit Theodosius, quod post confirmatum est a Justiniano. Ejusdem auctoritate cepit isthic & Philosophica auctoritas. Et paulo infra: Nullus vero ibi vel doctrina Christianæ, vel artis Medicea professioni locus fuit. Sponte prætermittimus multa, quæ de aliis quoque hujus ævi schoulis afferre possemus, quoniam præter hoc, quod nusquam, uti in nostris Academiis, omnia doceri fuerint solita, nullibi etiam reperimus, quæ studiose juventutis in officio continenda ratio per promissum simplex aut juratum fuerit observata.

Thef. XI.

*Secunda
questio
illustratur.*

Hinc ad ea tempora, quæ paulo propius ab ætate nostra absunt, accedendum judicamus. Ita quippe scholarum publicarum fuit facies ad seculum partim sextum, partim septimum, ex quo salus orbi meliori supervenit. Postea vero inundantibus cum Occidentalis Imperii partes Gothis, Vandals, aliisque Europæ Septentrionalibus populis, tum Orientales Provincias devastantibus Saracenis, ingens omni lите-

literarum generi barbaries inducta fuit; donec hanc veluti Eclipsin seculo nono consequeretur redux postliminio splendor. Eodem etenim Saraceni ipsiusmet deperire studia coeperunt, in Europam itidem, Parisiensi Schola a Carolo M. instructa, literarum amor reversus est. Sed nec adhuc quærenda origo Iurisdictionis Academicæ, & quod huic natales procul dubio debet, Iuramenti; quoniam hactenus pleraque ea instituta, quibus stant hodie Academix, penitus fuere incognita. Quantum igitur a præsenti hac nostra ætate licet retrogredi, seculo demum Aeræ Christianæ duodecimo apparet jacta fuisse Scholastici hujus imperii fundamenta, unde tandem Academix suam accipere formam. Is, qui vulgo cognomento Barbarosæ notatur, Cæsarum Germanicorum Optimus atque fortissimus Fridericus I. cum prope Placentiam in campis, quibus Roncaliis nomen, comitia ageret, insignia multa in eos, qui studiorum causa peregre profiscuntur, ac in universum literatorum ordinem contulit beneficia. Ipsiusmet namque de sententia, Procerum vero atque Purpuratorum consilio confecta & inserta Codici Iustinianeo est Constitutio illa, quæ *Habita audit, tit. ne filius pro patre* annexa. Vedit si quidem prudentissimus Imperator, indignissime sacerpius cum iis actum fuisse, qui relicto natali solo ad ejusmodi studiorum mercatus a patriis inde focis accesserant. Quamobrem ut huic, infensorum literis pariter ac literatis hominum libidini occurreret, & meliorem efficeret studentium conditionem, non solum, ne ulla iisdem in posterum afferatur injuria, severè prohibuit, sed & optione data, an Episcopum

C

vel

vel Dominum loci vel Magistrum, si quando in civili-
bus conveniendi, Judicem agnoscere velint, imperi-
torum foro istos subtraxit. Longum nimis foret, verba
Constitutionis laudatissimæ in medium adducere, sed
neminem Lectorum Juris peritorum eadem latere con-
fidimus. Etiam si vero in hac sanctione sit fundata Ju-
risdictione Academica, neque forte petenda altius, non-
dum tamen eo tempore istam formam, quam nunc in
plerisque locis conspicimus, ut in quatuor sic dictas
Facultates, distribuantur, acceperunt Academias. Nam
& institutorum & doctrinæ ratione multis adhuc &
quam maximis defectibus laborarunt, ceu ex eo videre
est, quod Honorius III. Papa non in magno honore
habuerit studium Juris civilis, dum in cap. super specu-
la 28. de privileg. firmiter interdixit, & districtius inhibuit
(uti verba sonant) ne Parisis (samigeratissima & ferme
unica illius tempestatis Occidentalium partium scho-
la) vel civitatibus seu aliis locis vicinis, quisquam docere vel
audire Jus Civile presumat. Et qui contra fecerit non so-
lum a causarum patrociniis interim excludatur, verum etiam
per Episcopum loci excommunicationis vinculo innodetur;
postea mitiorem se gessit erga Jus Civile Pontifex In-
noc. IV. qui in Cap. cum de divers. 2. de privileg. in 6.
statuit voluitque, ut in urbe Româ regatur & vigeat studi-
um Juris Divini & humani, Canonici videlicet & Civilis.
Hinc patet, pleraque instituta Academica, usu & ne-
cessitate sic postulante, vel potius prout Imperantibus
videbatur, fuisse introducta, ita ut difficillimum lon-
ge sit, singulorum querere ac demonstrare prima in-
cunabula. Nam in hanc formam, qua hodie
Germanias, & aliarum regionum gaudent Academias,
demum

demum ante pauca abhinc secula deuentum est, cum tamen multo antiquius credamus hoc esse de Juramento a Studiosis exigendo institutum, quoniam antiquiores JCti, ut infra videbimus, ejus faciunt mentionem, licet certi nihil de ejus origine afferre possumus, probabiliter saltim statuentes, Jurisdictione Academica incrementa capiente, & paulatim agente radices, hanc obsequii religionem fuisse introductam. Agnovit quoque hanc difficultatem celeberr. Conring. Suppl. ad Antiqu. Acad. LXXIX. ad p. 159. ubi: DIXIMVS, inquit, *instituta Academiarum varia esse, nec certo posse definiri omnium primam originem. Id longe esse verissimum, nemini non est notum, qui quidem ad res Academicas attenderit.* In quam multis tamen & potissimum quidem, Academie omnes conveniunt, nunc quidem temporis, et si non statim a primo initio. Cujus rei causa est, quoniam recentiores queque statim circa principia natæ sunt, Pontificum, Cesarum ac Regum beneficiis, ea omnia, que vetustiores sensim & per partes queque fuerant consecute. Certe de singulis definiri nihil certi potest, nisi inspectis earum publicis Tabulis aut Diplomaticis, factaque diligentia omnium collatione. Id quod hactenus fieri non potuit a quoquam, quandoquidem tabule istæ non sunt edite in lucem, aut ad omnium notitiam pervenire.

Thes. XII.

Quod tertiam spectat questionem: an studiosi *Questio Juvenes*, qui non servant statuta, super quibus iura- *tertia exa-*
mentum ab ipsis exigitur, pro perjuris sint habendi? minatur.
refert equidem Menoch. de Arbitr. Judic. Quest. I. 2. casu
192. n. 4. quod Marianus Socinus Senior in c. extramissa.

n. 7. de for. compet. ex sententia Zabarella statuerit:
Scholares qui rectori obsequium jurato promiserunt, & non
servant illud, non incurere perjurium; in quam etiam ire
videmus sententiam Schilterum Inß. Jur. Canon. l. 1, tit.
13. §. 10. seqq. verbis: *Studioſiunt Cives universitatis per
immatriculationem & jusjurandum obedientia juxta statuta
Academica. Adversus quæ qui peccat, reus fit, sed non pre-
cise perjurii; niſi ſpecialiter quid jurejurando pollicitus id non
obſervaverit.* Verum enim vero penitus materiam
hanc intuentibus nobis, varia videntur occurrere con-
ſideranda, videlicet 1) quid sit perjurium? 2) quam
sit diverſum, jurare obedientiam Rectori secundum
statuta, & jurare præcise in statuta? 3) an hoc jura-
mentum sit disjunctivum, ita ut obliget aut ad obſer-
vantiam aut ad poenam? 4) num si promissum juratum
non eſt factum ſub expressa obligatione disjunctiva, &
adjecta eſt poena huic promiſſo in caſu contraventio-
nis, an tacita ſubſtit obligatio disjunctiva? Primo per-
jurium secundum Habn. ad Wesenb. parat. de Jurejur.
n. 13. eſt mendacium jurejurando dolose firmatum; quibus
verbis videtur Habnius requirere ad perjurium, ut ſub-
ſit dolus, & hic statim iterum quæſtio ſubnascitur,
quando quis promiſt aliquid jurato, poſtea vero pro-
miſſi oblitus, quam ei applicavit jurisjurandi religio-
nen temerat, annon perjuri appellatione ſit notan-
dus? Procul dubio gravius peccat, qui ex proposito
& destinato conſilio agit contra juramentum, quam
qui ex incuria & negligentia, animo ad dolum ne-
quaquam compoſito, fallit promiſſum; deinde veriſi-
mum eſt, illum qui ex negligentia ſolum non autem
ex proposito deſtituit juramentum, haud vacare omni
culpa,

culpa, cum in re tanti momenti , qualis est præstatio
juramenti, non debuisset esse adeo incurius, ut obli-
vioni traderet, quæ sub fide sacramenti spospondit. Huc
igitur redit quæstio : annon etiam perjurus sit appell-
landus, qui solum ab oscitantia & incuria juramento
contrarius fertur ? Eiusmodi homo coram Divino
Numine & in foro conscientiæ reum se profiteri de-
bet perjurii, & seria pœnitentia deprecari culpam ad-
missam ejusque pœnam ; In foro autem externo & hu-
mano, quoniam homines non valent investigare alio-
rum cogitationes animi, atque intimos pectorum re-
cessus, utrum ex proposito & dolo, an ex incuria tan-
tum & negligentia agant, vix perjurii notam effugient
allegantes incuriam atque negligentiam dolo caren-
tem, nisi forte ex circumstantiis manifesto appareat, ab-
fuisse impium confilium propositumque. Igitur si per-
jurium sumatur pro actu, quo committitur aliquid
contra juramentum , idque violatur, perjurus utique
erit dicendus is, qui vel ex proposito vel ex incuria
tantum juramento adversatur. Huc repeti possunt,
quæ superius Th. VI. attulimus, illum non minus quo-
que perjurum esse, qui in ipso jurandi actu, quo ali-
quid alteri promittit, violationem istius concepit ani-
mo, licet postea pœnitentia ductus servet illud, quod
jurato promisit; perjurum autem in tali casu solum
esse coram Deo, & in foro conscientiæ, non vero in
foro humano, quia hominibus non constabat de ipsi-
us in actu jurandi animo; quadrat enim vulgatum di-
cterium : quod cogitationum pœnam quis non luat,
scilicet in foro externo, seu humano. Alterum quod
attinet, profecto plurimum differunt, jurare in statuta,

& jurare obedientiam Rectori juxta statuta. Nam prius juramentum versatur immediate circa statuta, eorumque continet observantiam & confirmat. Posterior vero saltim directum est in obsequium superiori praestandum, sicuti hoc requirunt Statuta Academica, ita ut hujus vel illius statuti violatione non praecise violetur juramentum, sed excusso demum obedientia jugo & vinculis perruptis obsequii. Licet igitur hoc casu itum sit contra statuta, si tamen superioris sententiae se subjiciat jurans, perjurus haberi non potest, qualis tamen est, qui sententiae a Rectore vel Senatu Academicо dictae refragatur. Tertium intendo, certum est, quod, quemadmodum promissio alternativa distinguitur a simplici, ita discriben sit, inter juramentum simplex & disjunctivum, utpote si quis promittat factum, vel in casum facti non praesiti, certam poenam, tunc persoluta pena perjurus non est, nec sine ratione, quia namque jurans sibi reservavit liberum arbitrium eligendi quod vult, secundum naturam propositionis alternativae. Uno igitur praestito liber est. Sed qui conscientia ejus gravari possit, qui alterutrum eorum, quae disjunctum promiserat, perfecit dedit? Si vero sit promissio simplex juramento confirmata, ea posthabita utique vinculum juramenti adiectum temeratur. Quoad quartum membrum questionis principalis tertiae, *Andr. Mendo in select. quest. quas de Jure Academicо scripsit, prolixe differit lib. 2. quest. 13. de Juramento promissorio, quod in Academiis praestatur ad servanda statuta, cuius mens per verborum quidem ambages sed obscure satis & perplexe proposita, eo videtur tendere, quod, si in statutis*

tis certa pœna est determinata in casu contraventionis, patienter eandem subeundo non fiat quis perjurus; quod si vero in Statutis certa mulcta non sit dicta, peccet contraveniens mortaliter in re gravi & magni momenti, sed in re levius momenti, circa quam versatur statutum, delinquat solum venialiter, qui violat. Hanc opinionem Mendo in alleg. quæst. primo multorum Doctorum calculis firmare intendit, dum ab ipso adducuntur Bonacina tom. 2. disp. 4. quæst. 1. de Jurament. punct. 16. n. 6. P. Salas de Legib. Disp. 15. sect. 1. n. 16. P. Thomas Sanchez l. 3. summ. cap. 14. n. 2. P. Castro Palao tom. 3. oper. mor. disp. 2. punct. 7. §. 5. n. 6. deinde adserit adhuc plures distinctiones, sub quibus uberioris sententiam suam explicare conatur; ubi jam quæstio movetur: An, si quis promittere aliquid debeat adjecta certa mulcta aut pœna, perjurus dici queat, si promissum susque deque habet, & tamen solvit mulctam aut subit pœnam patienter? Pro negativa urgeri posset, quod videatur in tali promissione jurata adesse solum disjunctiva obligatio, sic ut promissor minimum tacite obligatus censeatur aut ad pœnam perferrendam aut ad culpam perjurii subeundam. Sed non adest obligatio disjunctiva. Nam licet quis pœnam, quæ determinatur in foro humano, patienter perpetiat, non eximit tamen illa promissorem a vinculo, quo Deo obstringitur in foro conscientiæ; cum Legislator in foro humano non velit per pœnam adjectam transgressor, si hanc patienter subit, liberare ab obligatione conscientiæ, sed firmius obligare præsumatur, ut non tantum in foro Divino sed & humano metu perjurii ejusdemque pœna promtius servet promis-

missum. Cæterum duo adhuc notanda censemus, primum, cum satis durum sit, studiosos jurejurando adstringere ad certa capita servanda, cum tamen ob periculum seductionis aliasque causas contra illud agere queant & soleant, hinc procul dubio factum est, ut quemadmodum alias in LL. durioribus ad mitigandum harum rigorem Dd. multas comminiscuntur exceptiones, ita in nostro casu reperiantur, qui negare contendunt, studiosos per contraventionem juramenti promissorii secutam, pro perjuris esse habendos. Sic Limnaeus Tomo 2. J.P. lib. 8. cap. 6. num. 38. seqq. refert: *Eandem in opinionem Carpzovii de Regalibus ibes.* 38. allegantes Melanchtonem in Erbicis p. 236. scribunt: quemadmodum qui alias jurat se legibus obtemperaturum, & non obtemperat, non est perjurus, modo quoad pœnam obedire non recusat: ita Studiosus qui noctu in plateis tumultuatur, non est perjurus, si postea a Reclere citatus in pœna obtemperaverit, quia juramentum obligat vel ad obedientiam vel ad pœnam. Alterum quod notetur, est, postquam idem Limnaeus c. l. num. 37. dixerat: *Novi ego Illustris cuiusdam Academia (ubi juramentum a Studiosis rigide exigit) Proceres, post juramenti formulam typis expressam bcc adiecisse formalia: Hoc tamen ne cui laqueus simpliciori ponatur, monere visum, non perjurum haberet, qui contra statutum illum fecerit, si Recloris tamen jussis, vel in solvendo multam, vel pœnam sufferendo paruerit, nisi forte pœna ipsa perjurii adscripta sit: tum enim certe, qui contra illud deliquerit, perjurus merito babebitur, satis prolixe multis in medium adductis rationibus, textibus Juris & Doctorum autoritatibus refutavit opinionem istam, & ad contraria argumenta respondit, quo Lectorem remittimus.*

Theſ.

Thes. XIII.

Transimus ad quæstionem quartam : qua pœna *Quarta
est afficiendi juramento Academico contravenien-
tes ? Si certa pœna transgressioni hujus vel illius sta-
tuti est definita, haud dubie illa quoque a perjuro est
sumenda, nisi forte circumstantia monstrent, mitio-
rem esse infligendam. Si nulla certa pœna est deter-
minata, statuunt nonnulli, in foro humano juxta l. 2. C.
d. reb. cred. nullam quoque exerceri posse, ad cuius le-
gis sensum variæ inveniuntur Dd. opiniones, quas sin-
gulas recensere jam nec vacat nec lubet. Nos arbi-
tramus, si delictum contra statuta commissum , est e-
norme, quod alias impune non transmittitur, pœnam
locum invenire etiam in studiosis, sed jam quæritur ;
(a) an in delicto enormi, sive certa pœna in statuto
fuerit expressa, sive non, exasperari hæc debeat ob ju-
risjurandi religionem violatam ? Nos secundum cit.
leg. 2. C. d. R. C. tenemus , pœnam dupliorem in foro
humano studiosis imponi non debere, sed sufficere il-
lam, quæ citra violationem juramenti irrogari potest,
nisi circumstantia ostendant, ex summa malitia læsum
esse juramentum qua tale. Si vero in statuto contine-
tur aliquid citra expressam pœnam, quod coactionem
& vim respuit, (e. g. ut Studiosi virtutes sectentur,
nulla ipsis nisi cum probis commilitonibus necessitu-
do intercedat, collegia diligenter frequentent &c.)
ejusmodi transgressio in foro humano absque pœna est
relinquenda, modo alia non concurrant odiosa. (b)
anno fiat infamis studiosus, qui contra juratam pro-
missionem agit : juxta *Can. infames. 17, caus. 6. qu. 1.**

D

viden-

videntur omnes perjuri pro infamibus declarari. Sed quoniam in foro humano infamia pro gravissima astigitatur pena, quippe quod pro civiliter mortuis habentur infames, non protinus infamiae pena locum inventit contra illos, qui juramentum accurate non servant praesertim si magis ex oscitantia & imbecillitate quam ex proposito datum sacramento fidem infringant; unde *Rebus de privil. Studios. privil. 75.* scribit: *Studioſi, si non obediāt Rectori, non propterea ſunt infames, niſi per ſententiam condennantur.* & hanc in rem adducit aliquot Dd. quamvis postea ſubjiciat: *Scholaſtici inobedientes non ſunt perjuri, ſed Rector potest eos multare ſec. Zabarel. & Socin. in C. ex transmissa. d. for. comp. quod eſt magnum pro Studentibus, ſi eſt verum, iſpis relinquo cogitandum.* Quales penae in his vel illis delictis de Jure Justinianeo contra perjuros ſint statuta, pluribus exſequitur *Setſer. de Juram. lib. I. cap. 27.*

Theſ. XIV.

*Quinta
queſtio
ventila-
tur.*

*Argumen-
ta pro af-
firmativa
queſtioniſ
ſententia.*

Succedit nunc quinta queſtio ventila: num ſalva iuſtitia & pietate a Studioſis exigi queat juramentum illud, ſub auſpicio vitæ Academicæ praefati ſolitum? Pro affirmativa ſequentes militant rationes 1) Si finem ſpectemus, propter quem juramentum memoratum in Academicarum plerasque ſuit introductum, & adhuc retinetur, haud obſcure bonum & Reip. maxime ſalutarem eſſe appetet. Nihil enim magis in votis habuerunt & adhuc habent imperantes, Academicarum fundatores, quam ut Divini Numinis meſu eo firmitius adſtrigant ad honestatem vitæ eos, quos haec iſpa poeſiū decet, quippe do-
ctrinam

strinam Virtutum omnium Magistrum profitentes,
 quique supra vulgus dignitate atque honestate emer-
 gere conantur, & *quorum scientia totus mundus illumi-*
nandus est iuxta verba Imp. Friderici in *Auth. habita. C.*
re fil. pro Patr. Ut vero scopus iste majori cum stu-
 diosorum fructu & societatis Academicæ emolumen-
 to obtineatur, decretum est, jurejurando in certa ca-
 pita uti, tanquam frāno adversus licentiam improbo-
 rum, quoad ingenuos autem & liberales velut calcari-
 bus atque stimulis ad virtutes excolendas. 2) Omissio
 sive abrogatio hujus instituti publicam videtur laxare
 disciplinam; alias magis metuendum erit, ne demot
 religionis metu effrenis ac improvida juventus in o-
 mne genus audacia ac luxuria dissolvatur, eoqua-
 modo fenestra nequitia ac impietati patescat. 3) be-
 stialis vita Academicæ, ut loquitur *Jo. Brunnem. Jur.*
Eccles. lib. 1. c. 5. §. 10. quovis modo coercenda, & ju-
 ramenti velut capistro in ordinem redigenda. 4) di-
 ctum juramentum versatur circa ea fere, quæ Jure
 Naturali & Divino sunt imperata, quibus addere cal-
 car juramenti & sacrum quendam aspergere pectori-
 bus horrorem Aeterni Numinis videtur apprime con-
 veniens & fructuosum. 5) ob humanam malitiam
 ad inventum est juramentum *cap. et si Christus 26. X. de*
jurejur. quanquam *alleg. cap.* videatur arguendum in
 eo, quod solam exigentium malitiam statuat causam
 exactio[n]is, cum tamen præcipue concurrat malitia
 fallentium vel potius eorum, quib[us] exigitur. *Titius ad*
Pufendorf. lib. 2. de offic. H. & C. cap. 11. obs. 259. *Grotius in*
annot. ad Matth. 5. v. 33. ex Polybio refert, rarum fuisse
 veteribus Romanis usum jurisjurandi in contractibus,

D 2

quod

quod vix inveniretur, qui datam quovis modo fidem
læderet. Cum ergo, ut creberrimis, ex quo homi-
num perfidia radices egerat, datæ fidei violationibus
occurreretur, adhibitum denique sit juramentum, pro-
fecto eo carere non possumus. Atqui par dici potest
subesse ratio Juramenti Academicæ, quod ob audaci-
am & grassandi contra statuta libidinem est introdu-
ctum. 6) Non heri aut nudius tertius sed jam ab an-
tiquis temporibus juramentum illud a studiosis in
multis Academiis exigi coepit, & adhuc hodie exigitur,
procul dubio non absque longa, profunda & sapi-
enti deliberatione, quamobrem non videtur temere
a more illo Patrum nostrorum recedendum esse. 7)
multi celeberrimi Viri ad honores & dignitates ami-
plas evecti testati fuerunt, se hoc frano in Academiis
a vitiis sape fuisse retractos. 8) si tale juramentum
studiosorum repugnaret justitia & pietati, idem di-
cendum esset de Juramentis subditorum aliorum, qui-
bus se obstringere debent Magistratibus ad certa ca-
pita observanda, quando vel novi imperantes priori-
bus mortuis succedunt, vel recentes subditi fidelitatis
juramentum praestando in numerum aliorum subdito-
rum recipiuntur. 9) Studiosi sunt subditi plerum-
que temporarii tantum, nec in academiis habentes
bona immobilia, & sic per poenas jacturam bonorum
non facile metuant, uti alii subditi, quibus ample sunt
possessiones, hinc vinculo conscientia fortius sunt
constringendi. 10) Celebris hujus Academicæ Prof.
dicere solitus erat: quoad cives refractarios meliorem
esse conditionem Senatus oppidanæ quam Academicæ,
cum hic experiatur, Studiosos vix ac ne vix quidem in-

or-

ordinem redactos discedere in patriam & subinde novos succedere, quorum mores multis laboribus & poenis formari debeant; opus igitur esse juramento tanquam fræno, quo iidem per tempus academicum in officio contineantur.

Thes. XIV.

Contraria scilicet negativæ sententiaæ, subsequentia patrocinantur argumenta: (1) Res est *ta pro ne-*
sacrosancta Juramentum (*unde & sacramentum gativa.*)
 dicitur, vid. supr. th. 3.) cuius transgressio & violatio
 sœpe infert damnum cum præsentis hujus tum æternæ
 & futura salutis; unde pervigili opus est oculo, sum-
 maque circumspectione, ne facile præcipitemus a-
 lios in periculum contrahendi inæstimabile ejusmodi
 damnum æque ac irreparabile; hoc enim foret con-
 tra charitatem Christianam, quæ omnino præcipit, ut
 proximum diligamus, sicut nosmet ipsos; jam eni-
 xum eujusvis studium eo tendit, ut a se averteratur non
 minus incommodum gravissimum, quam ejus peri-
 culum. (2) Prohibita est in lege Dei profanatio no-
 minis Divini, & summa cura providendum, ne vile-
 scar religio & sanctitas juramenti; quare non asuesca-
 mus promiscuæ contestationi juratoriaæ, qua neuti-
 quam raro committitur perjurium. Ubi itaque su-
 spicamur, plerumque secuturam violationem SS. no-
 minis Divini, expendendum relinquimus, annon illi,
 qui, quod malum declinare possunt, non evitant, gra-
 vissimam Deo reddituri fint rationem. (3) Nihil fre-
 quenter accidit, quam ut studiosi agant contra statu-
 ta, in quæ juratam dederunt fidem. Vivunt enim in

D ; sum-

summa libertate, procul remoti a Parentibus, curatoribus & cognatis, qui praesentes forsitan in virtutis semita eos continere & perjurio obicem ponere possent; Familiaritatem porro ineunt cum pluribus aliis, a quibus pessimi exempli labes atque hinc seductionis imminent periculum, cui accedit, quod in juventute constituti difficillime possunt affectibus imperare & hos animi motus sano consilio compescere; unde apud quosdam natum est dicterium: Sunt Scholares, ergo perjuri, sicuti refert *Rebuff. in tract. de privileg. Studios. privil. 75.* ubi allegat *Barbatiam in Rubric. de Jurejur. in Clem.* Huic malo iri obviam deberet omni ratione studioque. (4) Studiosi vel expresse vel tacite commendantur Professoribus tanquam alteris parentibus. Quis autem Parens solet a filio, cui certa capita in Academia observanda prescribit, exigere juramentum, ut ista diligentius curet, praesertim ubi justus subest metus perjurii, quo divina provocatur ira & vindicta? Omnem igitur movere lapidem tenentur Professores, uta Principibus, Academiarum Conservatoribus, abrogationem introducti semel juramenti impetrant. (5) Quantumvis lubenter concedamus, juramentum Academicum suos habere usus; non tamen temere ibis inficias, propter tot perjuria majorem esse ejus abusum, quam usum. Sic olim ad abbreviandas lites, &c, ne litigantes audacter nimium quædam assererent, quædam negarent, inventum est juramentum dandorum & respondendorum c. 2. de V. S. in Clement. quoniam vero hoc plerumque degeneravit in perjurium, multis in locis fuit abrogatum. Pariter juramentum calumnia generale suo non destituebatur usu, sed ob frequen-

frequentiorem ejus abusum, cum raro agitaretur Pro-
cessus, in quo jurantes non violarint datam fidem, in
foro Saxonico recte omittitur. (6) In Academia no-
viter erecta, cuius de celebritate frequentia testatur,
per programma sic præfari solebant Rector & Profes-
sores, quando statuta typis impressa dabant Studiosis:
A civibus nostris sub auspicio vita Academicæ non
exigimus juramentum, contenti nuda promissione.
Aut enim boni sunt aut mali. Illi servare studebunt,
ad quod nudo promissio citra jusjurandum se obliga-
runt; hi experientia teste parum curant juramentum;
cur igitur ansam perjurio ipsis præbeamus? Limnæus
Tom. 2. lib. 8. cap. 6. in notis ad n. 34. sequentia refert:
*Juramentum Mercurio Planetæ solet comparari, qui in domo
boni Planetæ bonus, sed in domo mali planetæ malus est Za-
sius in l. 1. n. 4. de jurej. Beu. in rubr. de jurejur. n. 34. Cob-
man. Vol. 4. resp. 5. n. 17.* (7) Multi maxime laborant
conscientiæ scrupulo, num ob emphatica dicta Salva-
toris Matth. V. 34. & sequ. & Jacob. V. 12. ullum in N.
T. juramentum sit licitum; & quamlibet ad illa dicta
affatim respondere possimus, tenerima tamen res est
conscientia, quæ sape a dubio non liberatur, licet præ-
stantissimis argumentis istud eximere conati fueri-
mus. Num igitur vis facienda juvenibus tenerioris
conscientiæ, ut contra ejus dictamen præstent jura-
mentum? Omnem potius vim aversatur conscientia,
ceu fatentur nostrates Theologi, ICti & Philosophi.
(8) In multis quidem Academiis introductum fuit
juramentum studiosorum; postquam vero experien-
tia docuit, a paucis illud, multa potissimum capita
continens, debita reverentia observari, iterum fuit in
qui-

quibusdam Academiis abrogatum, & Viri celeberrimi, (ceu postea videbimus) existimarent vel debuisse lapidem istum offenditio[n]is non poni, vel positum non amplius tolerari. (9) Præsto quoque sunt rationes ex utroque jure, Canonico & Civili. Quoad illud, extat in decreto notabilis textus ex Augustino desumptus, C. 5. Caus. 22, qu. 5. Ille, qui hominem provocat ad jurationem, et scit, eum falso esse juraturum, vincit homicidam: quia homicida corpus occisoris est, ille animam, imo duas animas, et ejus, quem jurare provocat, et suam. Scis verum esse, quod dicis, & falso esse, quod ille dicit, & jurare compellis? Ecce jurat, ecce pejerat, ecce perit. Tu quid invenisti? immo & tu periisti, qui de ipsis morte te satiare voluisti. Licet hic textus loquatur de illo, qui scit, alterum esse pejeraturum, et nihilominus exigit juramentum, potest tamen certo modo etiam applicari ad illum, qui probabiliter præsumit, alterum commissurum perjurium, et hoc non obstante extorquet jusjurandum, quale est illud studiosorum Academicum. (10) Alium textum ad hoc institutum facientem invenimus in Decretalibus, scil. C. 3. de cohabit. Cler. & mulier, cuius verba sic sonant; Clericos in sacris ordinibus constitutos, qui publice tenent concubinas, ad eas abjurandas nolumus a tua fraternitate compelli; ne in eandem fornicationem instinctu diabolice fraudis redeuntes, perjurii reatum incurvant. Verum ipsos per suspensionis & interdicti sententiam debes artius cogere, ut mulieres ipsas a se removeant, quod de ipsis sinistra suspicio non possit haberis. Et si qui eorum ad ipsas redire, vel alias accipere forte presumferint, in aliquos eorum debes perpetuam excommunicationis

communicationis sententiam proferre , ut alii eorum exemplo perterriti , a similibus arceantur . Ad quem textum notat Abbas Panormitanus : Ex hoc providendum esset , ne scholares jurarent obedire Rectori , quia de facili transgrediuntur juramentum , & incurruunt perjurium , sed esset providendum de pena contra inobedientes , ut facit hic Papa . Cum Abbas ante aliquot secula vixerit , intelligimus , quod jam diu Juramentum studiosorum in Academiis obtinuerit . Quando Abbas dixerat , quod Scholares transgrediendo juramentum incurrant perjurium , Aeneas Falconius in margine adjicit , quod studiosi contra juramentum agentes non siant perjuri , in qua sententia etiam haeret Domin . Arumeus Discurs . Acad . de Jure Publico vol . 3 . discurs . 15 . Tb . 38 . & alii , quorum supra fecimus mentionem . (ii) Age jam videamus Juris Civilis pondera . Sic l . 2 . Cod . de indit . viduit . toll . mentionem facit Imperator , quod praedecessorum atate obtinuerit , ut mulieres servare debuerint juramentum , quo secundis nuptriis renunciarunt ad consequendum legata , sub conditione , ne denuo nubarent , relictæ ; sed hoc ipsum abrogavit pius ac laudissimus Princeps , cum videret sepe mulieres contra præstitum juramentum ineuntes nuptias , circa sitem h . l . pulcherrimo epiphonemate usus : cum sat' esse inhumanius videatur , per Leges , que perjuria puniunt , viam perjuriis aperiri . Colligendum ex eo , ad quam sedulam Legislatores teneantur cautelam , ne perjuriis ansa præbeatur . Jam vero ubi animadvertisunt , per certam legem aut observantiam frequentissime ea committi , occasionem hujuscem malii auferre , aliaque ratione , ut scopum consequantur , studere debe-

E

rent.

rent. (12) *Nov. 94. c. 2.* constituit Imperator, ut matres ad tutelam liberorum adspirantes haud amplius jurato renunciare opus habeant secundis nuptiis, quoniam neutquam raro (non obstante juramento) ad altera vota convolare soleant. In quo capite Novellæ duo adhuc memoratu digna occurruunt: Primum est quod Imperator dicat: *se multam habere formidinem, ne facile Iusjurandum per magnum Deum detur, et hoc prævaricetur* (uti verba sonant versionis.) Cum autem tantus princeps summam foveat erga DEVUM reverentiam, &c, quod per illum præstatur, iusjurandum in pretio habeat, metuatque, ne tot peijuriis Divina violetur majestas, quanto magis alios imperantes Iustiniano non comparandos, perjuriorum occasionem evitare deceret. Alterum est, raro a sexu sequiori secundas nuptias abjurante, promissam fidem servari. Cum igitur jus ad ea debeat aptari, quæ frequenter & facile contingunt, (conf. l. 5. d. LL.) perraro autem eveniat, ut una atque altera servet promissum, plerumque magis & facile perjuria committantur ab illo sexu, Imperator abrogandum censet esse morem in suscipienda tutela per juramentum renunciandi secundis nuptiis. Circa has rationes in utramque partem adductas, quænam prævaleant, nostrum obsonicam caussam suspendimus judicium, in confictu data occasione animi sententiam exposituri. Tu autem, mi Lector, opinionem

Elige, cui dicas, tu mibi sola places.

Thef. XV.

*Quæstio
sextr. tra-
statut.*

Circa quæstiones sextam & septimam supra th. 8. propositas breviores esse possumus. Si enim negativam prioris quintæ amplectaris, prono quasi alveo fluit,

fluit, in nova Academia erigenda consultum non esse, ut a studiosis exigatur sape citatum juramentum, & in qua Universitate semel per introductionem obtinet, utique illud abrogari debere. Sin autem accedis affirmativæ, minimum rationes pro negativa adductas tanti momenti esse deprehendes, ut, licet quoque salva justitia & pietate introduci posse sentias, non tamen utile omnino ac consultum esse judices illud admittere; potius certam pœnam esse statuendam existimabis contra eos, qui hæc vel illa statuta præteriverint, ita, ut bona speci atque indolis juvenes nuda promissione ad ea colenda invitentur, improbae mentis vero homines metu pœna deterreantur, juxta in vulgus notum illud Horatii:

Oderunt peccare boni, virtutis amore,

Oderunt peccare mali, formidine pœna.

Parentes, in primis ii, qui olim in Academiis vixerunt, & vel propriis vel alienis exemplis edocti fuerunt, quam facile ob lubricum ætatis contra statuta academica itum sit, libentius mittent filios ad Universitatem, in qua tortura hæc conscientia, (prouti juramentum illud a quibusdam appellatur) adventantiibus non imponitur, quoniam omnibus votis expectunt, ut natæ benedictionem Divinam, non autem maledictionem, quam perjurium infert, ex Academiis reportent. Multi præterea præstantissimorum Virorum existimant, consultius esse, a Studiosis circa introitum vita Academicæ non exigere juratam fidem; ita Menoch. de arbitr. Judic. quest. l. 2. cas. 192. posteaquam num. I. dixisset: *Clamat non injuria Legumlatores omnes, non esse perjurius viam aperiendam, & assertum hoc-*

E 2

ce va-

variis Jur. Civ. & Can. textibus confirmasset, concludit denique num. 4. hiis verbis: *Eset itaque satius, illud juramentum, (quo Scholastici Rectori obsequium promittunt) remittere, quaniam scimus, verisimiliter eos quotidie pejerare.* Limnaeus Tom. 2. Jur. Pub. l. 8. c. 6. n. 33. sic sentit: *In nostra Germanie Academiis, quando studiosi a Rectore immatriculationem expetunt, eidem coguntur vel stipulata manu vel jurejurando obedientiam LL. seu statutorum promittere.* Cujus promissionis modus prior humior, alter vero rigidior quodammodo duriorque, ut multi, qui alias Rectori lubenti animo reverentiam, Legumque obedientiam, quantum in illis est, vovent, hoc unicum subterfugiant, ne jurent. Novit hoc JCus in L. 8. §. de Condit. Inst. dum non nullos hominum faciles ait ad jurandum contentu religionis, alios perquam timidos metu Divini Numinis usque ad superstitionem. Ne itaque illis fenestra pejerandi aperiatur, his vero tortura conscientia paretur, ut Praetori olim fuit, ita cuique hodie Magistratui summa debet esse cautio. Eandem sententiam allegatus Auctor postea pluribus rationibus, & tam LL. quam DD. autoritatibus corroborat, ad quem locum Fritsch in Addit. haec verba subiicit: *Adstipulamur auctori, ac tuuis esse judicamus, si promissio obedientie stipulata manu fiat, memorabili quoque loco ex D. Mengeringii Scrutinio conscientia ad II. praeceptum decal. cap. 6. quest. 79. hanc in rem adducto.*

Thef. XVI.

Pergentibus ad questionem septimam: annon juramentum illud semel introductum abrogari debat? sequentes pro negativa rationes fiunt obvia.

(a) Quod omnis mutatio dicatur esse periculosa, &

non

non temere deflectendum a via regia majorum nostrorum. (b) Quoniam hi pro se habent præsumptionem, quod jurare obsequium jussent in Academiis, non nisi re diu multumque in utramque partem expensa, & tandem meliore probata & electa. (c) quod a multis seculis & in tot Academiis juramentum studiosorum auspicale sit receptum. (d) quod, si damnare velimus hoc institutum, & abrogatum cupiamus, tacite imprudentia accusemus prædecessores nostros, quibus illud arrisit. Contrarium urgent hæc momenta: (1) non omnem mutationem esse periculosam, nec quoque ob mediocris perieuli metum, quemvis salutarem conatum destitui oportere & derelinqui; alias Lutheri tempore non suscipi debuisse magnum religionis in melius formanda opus, nec superiori seculo ex Academiis proscribendum fuisse Penalismi morem. (2) Ipsos Condитores utriusque & Civilis & Canonici Juris in casibus supra citatis abrogasse juramenta, quorum majorem abusum ob tot perjuria notarunt; quidni ergo juramentum studiosorum ob frequentiam perjurorum & facilitatem abrogari mercatur? (3) rationes supra circa quæstionem quintam pro negativa adductas, minimum suadere, ut juramentum semel introductum abrogetur. (4) In Academia Lipsiensi olim obtinuit juramentum illud studiosorum, eeu ex loco Mengering, ante allato colligimus, sed idem hodie videgere desit. In Academia Halensi noviter instituta plane prætermissa hujus jurisjurandi cura est, atqui tamen hæ Academiæ ob frequentiam studiosorum divitum & e splendidis familiis oriundorum fama celeberrimæ sunt. (5) Licet in quibusdam Academiis jusjurandum toties nominandum fuerit receptum, forte tamen si querere lubet, plures invenias Universitates, in quibus illud vel non fuit introductum, vel si fuit, deliberatio consilio

consilio abrogatum Ad quem vero modum quoad quæstionem quintam, ita circa hanc quoque certis de causis judicium nostrum cathedræ reservamus, B. L. arbitrio, quam opinionem præferendam ducat, relinquentes.

S. XVII.


*Ultima
quæstio
exponitur.*

Coronidem imponit octava & ultima quæstio: si non abrogatur juramentum auspicale, num Rectores illis, qui serio id deprecantur, remittere possint, præsertim si circumstantiæ conditionis personæ, scrupuli conscientiæ, ætatis vel alia concurrant? Ad hanc rectius decidendam distinguendum erit, utrum juramentum illud simpliciter obtineat in Academiis, a sub ea ratione, ut Rectoribus & Professoribus expresse sit injunctum a Fundatoribus ac Nutritoribus, neu debeant remittere illud studiosis recusatibus. Priori casu non videtur admota libertas Rectoribus, ut rigida illius exactione usi pro ratione circumstantiarum modeste declinantibus morem non gerant. Sunt enim studiosi artium liberalium Cultores liberaliter excipiendi atque tractandi, & valde inhumanum foret, illos, qui vel conscientiam habent in dubio natantem, num omnino Christianos deceat juramentum, vel qui ex prosapia splendida sunt orti, vel qui opibus & divitiis abundant, vel quorum exercitens sese vis ingenii atque excellentiæ spem præbet, celeberrimos olim ipsos evasuros Viros, absque discriminæ a jure Academicæ civitatis repellere, aliter profiteri illud abnuentes, nisi dura jurisrandi condicio fuerit sublata. Altero vero casu non est in potestate Rectorum eximere quenquam huic rigori, sed remittere possunt & debent deprecantes, ad Nutritores Academicarum, ut ab illis dispensationem impetrant; imo consultum esset, ut in ejusmodi Academiis, ubi necessitas incumbit Rectoribus exigendi ab adventantiibus juramentum, Rectores & Professores a Nutritoribus exorarent facultatem illud remittendi deprecantibus, cum hac tamen restrictione, ut soli Rectores, hoc quicquid est operis, in se pro iubitu non susciperent, sed de circumstantiis ad Senatum Academicum referrent, e cuius decreto fieret conclusum, num petentibus gratificari deberent.

F I N I S.

AB: 153 643

(x 2580 273)



PRO SVMMIS IN DIVINO ¹² AEQUE AC HUMANO IVRE
CAPESSENDIS HONORIBVS
DISPVTACTIONEM IN AVGVRALEM
DE
IVRAMENTO STVDIOSO-
RVM ACADEMICO
AVSPICALI,
*Von dem Eide, welchen die studirende
Jugend beym Antritt ihres Academischen
Lebens iezuweilen ablegen muß,*
AETERNI NVMINIS AVSPICIIS,
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPĒ AC DOMINO
DOMINO
GVILIELMO HENRICO
DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM,
ANGARIAE, WESTPHALIAE, RELIQUA
EX DECRETO ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
PRAESIDE
GVILIEL. HIER. BRVCKNERO
ICTO, CONSILIARIO SAXONICO, PANDECTARVM P. P. CVRIAЕ PRO-
VINCIALIS, FACVLATIS IVRIDICAE ET SCABINATVS ADSES-
SORE GRAVISSIMO,
PRAECEPTORE AC PROMOTORE AETERNVM VENERANDO
AD DIEM JVNII M DCC XXV.
ERVDITIS AD EXAMINANDVM SOLEMNITER
PROPONO
GEORGIVS HENRICVS ORTH
HEILBRON. EX SVEVIS
—
I EN AE,
LITTERIS IOHANNIS ADOLPHI MULLERI.